Universitätsbibliothek Paderborn

Locorvm Commvnivm Religionis Christianæ Partitiones

Arnoldus <Vesaliensis>

Coloniae, 1565

VD16 H 312

Caput 6. Quis est ordinarius baptismi minister?

urn:nbn:de:hbz:466:1-30256

Visual Library

men in baptiſmo habitualem accipiunt: qua & vti poterunt adulti, niſi peccando eam extinguant. *1. Cor. 6.*

Caput 5.

Pendet'ne baptiſmi integritas ab adminiſtrantium qualitate?

AEquè verus & ſanctus baptiſmus à bonis datur & à malis miniſtris: nec plus à bono, nec minus à malo. Neque enim hominis munus eſt baptiſmus, ſed Dei, qui principaliter baptizat. Vnde nec Petri, nec Pauli baptiſmus dicitur, ſed Chriſti: qui ſibi baptizandi poteſtatem retinuit, miniſterio alĳs collato. *1. Cor. 3. Galat. 6.*

De eis verò, qui baptiſmum recipiunt, dicendum quòd hæreticus vel ſchiſmaticus, quamuis baptiſmum accipiat, nõ tamen virtutem eius poteſt participare. Qui, ſi Eccleſię ſe coniungat, non quidem reiterandus eſt baptiſmus, ſed ipſe in vnitate catholica, effectum ipſius conſequetur.

Caput 6.

Quis eſt ordinarius baptiſmi miniſter?

EXtra neceſsitatis caſum baptizare non conuenit, niſi ſacer-

dotibus.

dotibus. In neceſsitate autem permittitur etiam laicis & mulieribus. Qui ſi etiam extra neceſsitatem baptizare attentârint, licèt grauiter peccent, verus tamen eſt baptiſmus, nec iterandus: ſicut nec rebaptizari debent ab hæreticis ſecundum formam Eccleſiæ baptizati, ſed ſunt reconciliandi. Quod autem Cyprianus contrarium ſenſit, ignorantia factum eſt, quę per martyriū expiata eſt. Neq; eſt niſi vnus baptiſmus, qui trina fit immerſione, propter myſterium trinitatis. *Beda in hom. 36. in Matth.*

In vteris autem maternis etiamſi mater baptizetur, puerum baptizari non contingit. Oportet enim hominem prius naſci quàm renaſci. De his autem, qui in vtero ſanctificati dicuntur, reſpondemus hoc per priuilegium factū eſſe, vbi & an vſus rationis acceleratꝰ ſit, in dubio relinquit.

Neque etiam baptiſmum impedit incongrua baptizantis locutio, ex ignorantia proficiſcens.

Quòd ſi de quoquam ignoretur, baptizatus ſit, nec ne, ſub conditione baptizari debet: nec reputandus eſt tunc baptiſmus iteratus, cùm neſciatur datus.

Si quis autem ſolum ioco tingatur, etiam prolata forma, baptiſmus non

non eſt, cùm intentio ſit neceſſaria.

Quod ſi paruulus ſpe cõmodi offeratur, nihilominus baptiſmũ recipit.

Poteſt autem baptiſmus dari omni tempore, licèt conuenientius in ſabbato Paſchæ & Pentecoſtes.

Et quidem ſi adulti ſint baptizandi, pro ſe reſpondeãt: ſi verò paruuli, alij reſpondẽt pro eis: at paruuli illa reſponſiõe tenentur cũ adoleuerint.

Ea autem quæ ſunt pro baptiſmatis ſolennitate, etiam ſi omittantur, baptiſmum non irritant.

Caput 7.

Quod eſt alterum à baptiſmo ſacramentum, & quis eius uſus?

Confirmationis ſacramentum, quod inſtitutũ eſt ad fidei firmitatem & gratiæ profectum, ab epiſcopis & his ſolis cõferendum eſt, & hoc ſub pręſcripta forma: Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine patris & filij, & ſpiritus ſancti.

In quo quidem ſacramento donatur ſpiritus ſanctus, ad roborandum eos, qui baptizati ſunt, qui & datus eſt in baptiſmo ad peccati remiſsionem.

Quamuis